



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Gasparis Haywood elogium, nu. 11.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

1585.

Quæ cum legerentur, qui motus? Quæ lachrymæ? cum intolerandum animi dolorem continere nemo posset: Grauem acerbamq; conditionem suam lamentabantur vniuersi; querebantur se proditos, atque deterrimis calumniis iniuriâ oppressos exulare: Nullum testem in se, nullius confessionum produci posse, qui conspirationis maculam tam grandem, aut confessionis aduersus Reginam & Regnum queat inurere. Rogabant verti vela; in Angliam reuehi; sibi Tribunalibus; quò innocentiam palam demonstrarent, aut vitam sine apud suos glorioso clauderent. Nihil obtinent. Cùm excedissent, noua fraus occurrit depellenda: sparserant aduersarij, metu cruciatuum & mortis petijisse hos omnes transuersionem; vel, quod peius est, consentiendo in quibuldam cum Hæreticis meritos esse clementiam: sed facillè fuit ista diluere cùm exemplo perspiceretur quàm prompti vniuersi essent ad reditum in Insulam quandocunque per superiores suos liceret, nulla tormentorum, nulla mortis acerbissimæ habita ratione, atque interim inuicem se solabantur quod cum Apostolis *digni habiti fuissent pro nomine Iesu Contumeliam pati*.

Gaspar  
Haywood

XI. Hæc cunâ accidère; nunc singulorum rationes inspiciamus, qui quidem ad nostram Societatem pertinuerunt. *Gaspar Heywood* (Frater minor natus *Elizæi*, cuius ante facta est mentio) Filius Ioannis Heywood, Nobilis poëtæ & *Thomæ Mori* æqualis, vigesimo septimo ætatis anno, Artium Magister, & Sacerdos, adiunctus est Societati in domo Professa Romana vigesimo primo Maij anni sexagesimi secundi Post duorum Annorum Theologiâ missus Dilingam, Conscientiæ & controuersas cum Hæreticis quæstiones explicuit annis septendecim, ad Doctoris interea in Theologia, & ad quatuor votorum gradum promotus: Atque vt erat in Hæbræis doctissimus, breuem facillimæque eius discendæ linguæ methodum digessit in tabulas. Huius missionem in Anglicam Messum Gregorius XIII. Pontifex clauum Ecclesiæ eo tempore tenens, & in huius similibus Angliæ salutem, quanto studio prolecutus fuerit testantur literæ ad Bauariæ ducem Guilielmum datæ, in cuius ditione ijs annis verlabatur Haywoodus: In Hæc verba.

Dilecto Filio nobili viro

Guilielmo Bauariæ Duci.

Dilecte Fili, Nobilis vir, salutem. Quod olim monuit Apostolos suos Dominus noster Iesus Christus, hoc etiam nos monet quotidie, *Messis multa, operarij autem pauci; rogate ergo Dominum Messis vt mittat operarios in Messem suam* Rogamus nos quidem, sed debemus etiam pro nostro munere & Ecclesiarum omnium sollicitudine ab eius bonitate nobis imposita, eos quos maximè idoneos esse cognouimus, mittere, & curare vt in hoc negotio Catholicos Principes, in quibus Nobilitatem tuam imprimis numeramus, adiutores habeamus. Postulant Sacerdotes Sodalitatis Iesu qui in Anglia sunt, vt mittamus eò ipsorum studij, & assidui pro Christi gloria atque animarum salute laboris, adiutores: Nominant autem imprimis dilectum filium Galparem

rem



rem Hayvodum Anglum, eius ipsius Sodalitatis Sacerdotem : Sperant enim eius auctoritatem, quæ ibi non modica est, magno sibi vlui futuram. Voluimus hoc significare Nobilitati tuæ: Interest autem summopere ad Deigloriam, quam solum spectamus, atque ad eorum quos mittimus incolumitatem, eos quos mitrimus quàm secretissime discedere. Perspectum habemus Nobilitatē tuam, & causam ipsam & nostrum zelum vehementer probaturam, libenterque Hayvodium in hac tanta necessitate à se dimissuram. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 27 Maij 1581. Pontificatus nostri anno nono.

In Angliam cum venisset vna cum *Guilermo Holto* Anno octogesimo primo, absente deinde in Gallijs *Personio* præfuit nostris. In conuentu Sacerdotum, cum disceptaretur de Ieiunij, deque festis diebus dissenfit à *Personio*, cupiebatque antiquas Anglię consuetudines ad normam recentiorum Canonum reduci. Hinc natus sermo inter aduersarios Societatis discrepasse *Hayvodum* à *Personio* in pluribus; *Personius* in Apologia negat, nam & in isto accessit ad eius sententiam, neque postea variarunt. Podagræ doloribus frequenter afflictus, non potuit *Campianum* ceterosque equare laboribus. Solutus præterea morbi causâ ieiunij legibus cum carnibus velceretur, non æque omnes libertatem illam interpretabantur. Accidit vt Schismatici vteretur hospitio ( hominis ab Catholica non multum dissentientis, & Sacerdotibus propter uxorem quam habebat Catholicam beneuoli. ) Pluribus cum Haywodo conuinis ( diebus quas vocant Rogationum ) paratur mensa utroque cibi genere instructa; Alij cum *Haywodo* & Hospite carnibus, alij cum hospita pilce se reficiunt. Oritur super mensa disceptatio de huiusmodi varietate. Rationem reddit *Haywodus* quam tradunt Theologi multiplicem. Tam vehementer tamen hospiti displicuit variatio vt non mediocriter videretur infensus. Nam non ita multo post prodit in forum, emptoque exemplari Edicti de Sacerdotibus in exilium pellendis, redit ad *Hayvodum*; rogat An illo ipse tangeretur. Vtique, inquit *Haywodus*: at tua in domo securus sum. Irâne verò: At ego hanc tibi securitatem nunquam promisi; neque tantopere mihi placet vestra viuendi sentiendique ratio, vt tui causâ velim caput & bona prodigere. Itaque ex hoc tempore captiuum te teneo. Vxor is lachrymæ & promissa pecunia valere vt noctu dimitteretur. *Tanti est videre quo loco, & sub quorum oculis etiam permisâ utaris libertate. Hayvodum* & tempora indies deteriora, & perpetuis infesta inquisitionibus vt plurimum latere compulerunt. Deo tamen dilponente incidit in casses vbi securitatem quàm maximè sperare potuisset. Nam vocatus in Gallias & ab iplo penè Normanniæ litore aduerso vento reiectus in Angliam, tentus, & in vincula coniectus est. Ducitur deinde cum alijs Sacerdotibus ad dicendum de capite, neque hic tutus à fraude. Etenim ad ingressum Aulae West Monasteriensis ante ipsa iudicum subsellia retractus à ceteris vicinum in conclaue custodiendus includitur. Hominem videlicet doctum & eloquentem noluerunt Socijs esse præsidio. Tum etiam com-

Capit. 1



1585. mouendos existimauere cæterorum animos, cum quid de illo, quamue ob causam actum esset dubitarent, vacillassetne in fide: an se Regina; cui puellæ puer seruisset) obsequentiorem quam par esset præbuisset! Quod Hopponus tacite insinuarat; & procliuè erat suspicari. Sed reductus ad carcerem nullis abduci promissis, nullis terroribus concuti potuit. Cum vertisset solum, migravit Dolum Burgundiæ. Isthic sapius ab inimis de nocte, veneficarum præstigijs, malo dæmone exceptus est alapis atque verberibus. Post varia remedia, posito super cubiculi mentam Venerabili cum lumine, sperauit frustra quietem. Nam intempesta nocte consuetus hospes ingressus (formam gerebat obscuræ felis) factâ Venerabili profundâ teuerentia, extinguit lumina, tum *Herwoodum* rursus infestare aggreditur: Neque fuere reliqui eius Collegij Socij immunes. Ambulanti præterea per agros cum Socio, occurrere aliquando factæ mulieres duræ, maturatogue gradu medios accepere; tum leuiter vtrumque tetigere cubito, cum sereno vndique celo, exorta subito tetra nubes duos operuit, atque oppidò perplutos remisit domum, mirantibus cunctis cur in solos illos tantum aquarum, cum vndequaque summa esset serenitas. Post quatuor annos profectus Romam, deinde Neapoli confedit. Literæ Neapolitanæ tradunt quauis pia de causâ facili fuisse ad lachrymas, siue super mensâ legeretur, siue cum Sacrosanctum Sacrificium ipse faceret, siue de rebus Sacris esset sermo; nihil singulare in vltima senectute parari sibi voluisse, consuetis contento; ad campariæ etiam sonum promptissimum, siue ad laxandum animum pulsaretur, siue ad colligendum; vt ex subita oris motuumque compositione intelligeretur celeritatem non tam laxamento quam obedientiæ tributam. In morti proximum rursus incurrit malus dæmon, insufurrans æternis pœnis addicendum eo quod rectâ fide destitueretur. At ille elatâ voce Patrem mendacij compellans: "Mentiris, inquit; nam ego rectæ fidei causâ & carcerem & exilium passus sum, & nunc pro eadem tuenda morior extorris; quid quod aduersus Hæreticos eam blasphemantes multis annis de cathedra decertauis?) Plura obij. entem hoste, mendacij semper redarguens, tandem vt cuiusnam auxilio potiretur victoriæ palam esset;" Gratias, inquit, ago tibi dilectissima Domina Mater Dei mei, quod in subsidium mihi venire dignata es, & immitem hostem volueris propulsare.) In qua voce placidissimam animam reddidit Creatori, nono Ianuarij anni nonagesimi octauis, cum annos ætatis expleisset sexaginta tres, Societatis initæ triginta sex, Professionis viginti octo. Quæ vitæ mortisque testata encomia facile tetrum odorem depellunt, quem Hospinianus in sua Iesuitica Historia (leu conficta potius fabella) afflare conatur viro qui cum pietatis & prudentiæ laude ad extremum vsque spiritum vitam exegit. Quanam enim ratione is qui in minimis erat obsequentissimus, literas ad externos mitteret ijs celandas quibus antequam mitterentur ostendi in mandatis erat? quo vero consilio ostenderet quæ probari non potuerunt? pietas igitur à mittendis, prudentia à scribendis deterrebat, quando ne scribi quidem oportet ea quæ vtrum probanda sint merito dubites: deinde quæ esse potuerunt ordinationes Superiorum circa Sacramen-

tum



tum poenitentiae tam admirandae, quae dogmata alia tam inaudita, ut ne ad au- 1585.  
res quidem Generalis *Claudij* peruenire potuerint, nisi narrante *Haywodo?*  
quod *Holpinianus* vult esse in literis: Quas cum ipse non existimauerit esse  
in lucem edendas integras, & post viginti annos mancas recitauerit, eo fictio-  
ni propinquiores demonstrat; praeterquam quod in annorum Societatis, &  
Professionis numero, multum aberrat a vero; & non vnus *Haywoodum* hac  
caelumnia conspurcare, sed & *Campianum* & *Personium* & praecipue *Garnet-*  
*tum* faedissimis prolcindere pergit iniuriis, ut falsis indicibus vltim esse, aut  
fallere voluisse necesse sit, & quae ex face ea tota fabula in auras emerferit  
prudens quisque atque consideratus perspicere non difficulter queat.

XI. *Jacobus Bosgravius* Godmanstonij in agro Dorcestrensi natus, Rhetoricae & Philosophiae dedit operam Romae; in Societatem cooptatus decimo septimo Nouembris anni sexagesimi quarti: In Germaniam deinde & Poloniam profectus, Sacerdotio initatus est Olomucij anno septuagesimo secundo. Tum Rhetoribus, Philosophis, Mathematicis, de Religione quaestio-  
nibus, Graecis etiam & Haebraeliteris explicandis annos duodecim inlump-  
sit. Anno eius saeculi octogesimo, recreandae inter caetera valetudinis gratia  
in patriam redux, quam carcer medicinam aegritudini facere posset confestim  
experiri necesse habuit. Nam breui interuallo captus, in summi Tribuni se-  
dem datus est custodiendus. Isthic fortitudo in perferendo, scientia in dicen-  
do quantum imbecillitati corporis emineat palam ostendit. Volitabant per  
ea tempora *Walkerus* & *Fulkus*, & huiusmodi permulti errorum Magistri,  
audi gloriae; quicum vinculis onustos Sacerdotes, quos non poterant lupe-  
rare argumentis, clamoribus grauassent, victoriam suo de cerebro natam in  
vulgus spargebant: *Bosgravius* igitur, *Sherwinus*, *Hartus*, & alij, ne quid Re-  
ligio damni pateretur ab mendacio, publicam disputationem petunt ijs con-  
ditionibus, quae (si seruatae) non rumore falli sinerent, sed ipsa re veritatem  
docere possent eos qui audirent: Neque refugere videbantur aduersarij: In il-  
lius anni mense nono, *Georgius Caræus* ei sedi Praefectus, ad Commentarien-  
sem transmittit mandata, ut si inter Papistas (quo nomine per ludibrium vo-  
cabat Catholicos) si, inquam, essent qui Religionem suam cuperent disputan-  
do defendere, Capita conscriberent, nominibusque defendentium appositis  
pararent se ad conflictum; breui post tempore se quo loco, quo tempore, &  
quibus conditionibus disceptatio ineunda esset significaturum. Scribuntur  
Capita, adduntur nomina, traduntur obsignata, mittuntur ad Caræum, & ad  
pseudo Euangelij Ministros. Non placent istis quae a Sacerdotibus collecta  
sunt argumeta certaminis; dant alia, quae nostri non recusant; Dies dicitur vi-  
gesimus nonus Decembris, Thomae Cantuariensis sacer: magna est expectatio  
dici & concertationis. At aduersarij diem non expectantes, *Bosgravius*  
& *Hartum* rapiunt in Arcem cruciatibus non disputationibus exercendos.  
Nam *Sherwinum* pridem ipsis nonis eius mensis eodem transtulerant, & deci-  
moquinto & vndeuigesimo diebus crudelissime torserant, quo firmior, sci-

*Jacobus  
Bosgravius*

*Catalogus  
Romanus  
Ai, 1560,*

*Capitum*

*Petit cum  
alijs publi-  
cam dispu-  
tationem,*